

/ Illustrissime Domine.

Certum est ex Bulla Leonina majores causas Episcoporum summo Pontifici esse reservatas, et ex bulla confirmationis sacrosancti Concilii Tridentini mandari ut si quid in dicto Concilio obscurius dictum et statutum fuerit ita ut interpretatione aut decisionem aliqua egere visum fuerit, ascendamus ad locum quem Dominus elegit, ad sedem videlicet Apostolicam omnium fidelium magistram, ut ibi omnes difficultates ortae declarentur et decendantur, et ex bulla Pii Papae IV revocatoria privilegiorum exemptionis etc. declarari ea omnia quae vigore privilegiorum exemptionis, immunitatis etc. post id tempus quo Concilium obligare coepit, facta ~~ext~~ gesta quomodolibet fuerunt et imposterum fient in his in quibus dicti Concilii decretis adversantur nulla, invalida et irrita esse et censi ac nemini etiam quantumlibet qualificato tam in foro ~~fori~~ quam conscientiae suffragari posse et debere. Receptum fuisse et admissum Concilium Trident. in Belgio et in Ecclesia Tornacensi clarissimum est, ita ut nullus ire possit inficias, licet in Gallia non ita, sed cum dolore dicam quod semel ab homine spectabili a legato Franciae audivi: Gallia, inquit, non recepit, sed ~~20~~ plerisque in locis accurate ~~servat~~, et vos Belgae recepistis, sed non servatis. Hoc certe cum rubore intellexi, quia verum esse censeo. Interest summi Pontificis, quandoquidem ista ad aures S.S/tis pervenerint, ut occurrat isti malo, et jubeat quamprimum sub obtestatione divini ~~judicii~~ aliisque gravibus censuris ut capitulares mei transmittant suas voces Romam, ut quid petant Summo Pontifici innotescat, quibus rationibus jurisdictionem episcopalem aut quare sibi attribuant, suum Episcopum Tornacensem non esse suum Ordinarium, sed Archiepiscopum Cameracensem probent, quare ab Episcopo Tornacensi ecclesia cathedralis visitari caeteraque civitatis et suburbioris ecclesiae (quas exemptas esse dicunt) parochiales non possunt virtute Concilii Tridentini c.4, sess.6, et c.8

/ sess.7, c.6 sess.25, c.4 sess.14. Item nec ibidem deputare praedicatorum, approbare confessarios, publicare indulgentias adhibitis duobus, facere concursum et examen et dare curam animarum in praedictis locis quindecim, et authorisabilem institutionem. Quo jure
5 contra haec nitantur, urgeat illos motu proprio Sua Sanctitas et conservet auctoritatem nostram quae apprime nobis necessaria est cum hic Episcopi loco Inquisitorum sint, quia Inquisitio sicut in Italia et Hispania non viget, neque facile admittetur velut odiosa in his partibus ideoque non debet vilescere Episcoporum auctoritas ne accidat quod ait D.Gregorius papa in suis Epistolis: Si
10 uniuscujusque Episcopi jurisdictio non servatur, quid aliud facimus quam per nos, per quos servari debuit ordo, confundatur? Si usurpationes potius quam legitimae consuetudines, quae fiunt vel clam vel vi vel precario tantum habeant roboris ut praevaleant
15 sis legibus et Conciliis oecumenicis, aut etiam provincialibus et sinodalibus, et nihil horum asservare velint Capitulares nostri, frustra Sanctissimus insudat in cogendis conciliis, praesertim in definiendis iis quae reformationem morum concernunt, frustra se fatigant Archiepiscopi qui mandant asservari Concil.Trident. et
20 mandari executioni idque cogunt et Episcopos suos suffraganeos jurare, et deputatos a capitulis, cum tertio post die protestationem faciant hujusmodi, sicuti et dicuntur fecisse post publicationem Concilii Tridentini Capitulares nostri, salvis suis privilegiis; in nomine Domini doceant semel sua privilegia. Horum exemplo,
25 omnia sine dubio restituentur, sed nescio interea quo spiritu agantur quidam etiam magnates qui politiam aliam in destructionem ecclesiae imaginantur, ordinem hierarchicum ecclesiae destruant, auctoritatem nostram diminuunt, et communitati potius favent quam unitati. Verendum est ne si hoc longius serpat, ne idem quod vicinis nostris Hollandis et Anglis (Deus avertat) eveniat. Optime Ill.Nuncius Gesualdus rem ecclesiae nostrae promoverat, sed aliò

/ missus est non sine modico nostro damno. Vir erat cordatissimus
et integerrimus; hic Ill/mus a Morra optimè ab initio rem eccle-
siae nostrae promovit cum esset in concilio privato; et urgerem
illos quatenus placetum obtinere possem super bullis Pontificiis;
5 sed postmodum ubi ad votum nostrum aliququaliter saltem et provisio-
naliter satisfactum fuisset donec aliter a S/tà Sede definitum es-
set, ipse aut nobis proposuit aut proponi permisit conditiones in-
iquas derogativas Concilii Tridentini, et licet nobis (utrique
parti scilicet) praefixisset terminum unius mensis ad rationes
10 nostras sibi consignandas et Romam mittendas, et paruerimus ex
parte nostra, nullis censuris nullaue condemnatione tanquam in
contumaces capitulaes processit, et sic omnia in mora in qua spem
ponunt, res remanserunt, nec quidquam ab eo expectamus, cum aegrè
ferat si illum commoneamus. Nihil quamobrem melius futurum est
15 quam si modo praedicto procedatur, omnia Romam transmittantur, co-
gat rebelles Sua Sanctitas rationes adferre, se belle definire et
cognoscere dicat, de exemptionibus, quis sit ordinarius, de bul-
lis etc. Rogo Ill/mam D.V. ut coepit velit pergere, ecclesiaeque
meae manum adjutricem praebere, rem habere cordi, tractare cum
20 Sanctissimo ejusque deputatis, et de via optima cogitare, omnia-
que ista negotia melius quam dicere possumus aut scribere dirige-
re et confidat quod ero Ill/mae D/is V/ae in perpetuum

Humillimus in Christo servus

Maximilianus Episcopus Tornacen.

25 Torn.27 febr.1619.